



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Mustela, Lepus, & felis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

bens, retulit Testudo: neque ero, confidite, beneficii immemor. Tum illi; non erit mora longa: eni bacillum accipe, & medium stringe dentibus. Simul & bacillum Testudini per os inferunt: at cave, addunt illi, arreptum mordicus dimiseris. Mox acceptâ utrinque virgâ attollunt Anates Testudinem, & liquidas per auras ambo deferunt. Visum illud omnibus prodigium, & concurrentibus undique ad spectandam volentem Testudinem, imò & Regimam Testudinum salutantibus; illa gestiens in sinu, & lætitiæ impatiens, vero verius, inquit, Regimam sum. Næ fecisset illa consilius, si tacuisset: nam aperto imprudenter ore dimisit dentibus, quo sustentabatur, baculum, & in terram allis graviter curiositatis & ineptæ jactantiæ perculit.

EPIMYTHION.

Natura dux est optima; quam ire contra tutò non licet.

MUSTELA, LEPUS ET FELIS.

DUm molli pascitur gramine, & virentes per agros ludibundus errat Lepusculus, absentis in cavum Mustela furtim irrepit, & alieno in hospitio penates locavit suos. Redux serâ sub nocte Lepusculus miratur occupatam domum, & Mustelam increpans, quid agis, inquit, ô mala? Decede laribus non tuis, & vasa, si sapias, quamprimum collige. Ni facias, est in propinquo Murium legio non ignobilis, que

re erudiat, & impudentiam emendet tuam. Ad hæc Mustela subridens, quid ais ô bone? aut quo tu jure tuam hanc dicis domum? Orbem, si nescis, Jupiter dum conderet, Terram cunctis animantibus sic habitandam dedit, communis ut esset omnibus; & quam quisque occupasset, dicere hanc posset suam. Hunc mihi cavum jure non alio arrogem. Tu, si quod habes melius vel antiquum magis, id profer, aut esse noli molestus mihi; nâ facias, ecce jam jam aderit Canis, qui tuam retundat contumaciam. Hæc dum disputant utrinque acrius; objecit se se de proximo Felis retorrída; quam conspicatus Lepusculus; hem age, dixit, adeamus Felem, & totam controversiam dirimat. Imò, Mustela subjicit, alium judicem non velim. Dictum ac factum, Felis ad tribunal advolant. Qui cum adstitissent ambo, & ad dicendam causam se accingerent; Huc adeste propius, Felis ait; surda sum; hoc mihi ætatis vitium ignoscite. Illis parentibus, falcatam hinc & inde Felis injiciens manum utrumque enecat.

EPIMYTHION.

Hoc sibi dictum putent, quicumque apud potentiores litigant.

CERVUS ET VITIS.

Cervus venantes cum fugeret, umbrosam in Vitem incidit. Hoc nactus ex improvise perfugium delituit sedulo, donec conver-
sis